

Handwritten in red ink: Hic est locus, ubi in antiquis scriptis

Handwritten in red ink: Hic est locus, ubi in antiquis scriptis

ACADEMIA SCIENTIARUM REGIA BORUSSICA inde ab anno MDCCCXLVI consilium agitavit adornandi corporis inscriptionum Latinarum amplissimi, rei et utilissimae et communi hominum doctorum desiderio diu expetitae. Adprobavit hoc consilium opusque gravissimum sese adiuturum esse promisit illustris vir BARTHOLOMAEUS BORGHESIUS, cui omnes principem locum inter eos tribuunt qui inscriptiones Latinas tractant; nec defuerunt alii homines eruditi qui consiliis suis et contributa opera inceptam rem promoverent. Denique REX AUGUSTISSIMUS edicto sanxit ut in praeparatum diu opus omne studium ab academia converteretur suaeque munificentia fecit ut sumptus necessarii in eam rem impendi possent. Itaque classis academiae philosophico-historica, cui viri illustres AUGUSTUS BOECKHIUS et ADOLFUS TRENDLENBURGIUS praesunt, quattuor viros ex numero suo delegit quibus ut huic operi instituendo continuando perficiendo instarent commisit. Quorum suasu viri doctissimi THEODORUS MOMMSEN, professor publicus ordinarius in universitate litterarum Vratislaviensi, et GUILIELMUS HENZEN, professor regius idemque ab actis instituti quod Romae est archaeologici, totum illud inscriptionum Latinarum corpus parandum ita susceperunt ut in societatem sibi adsciscerent viros laudatissimos, IOHANNEM BAPTISTAM DE ROSSIS Romanum et in inscriptionibus antiquissimis FRIDERICUM RITSCHLIUM, professorem publicum ordinarium in universitate litterarum Bonnensi.

Verum ut susceptum magnae molis opus recte perfici possit optandum est ut quam plurimi, quorum studia circa inscriptiones Latinas versantur, in laboris ac laudis communionem veniant, praesertim illi qui vetera monumenta ipsi oculis suis usurpare et in publicam utilitatem convertere possunt.



Itaque cum TE *Formai, Virum doctum, et in antiquis expertum*

de rerum antiquarum cognitione et omnino optime meritum et earum quae ad patriam TUAM pertinent inprimis studiosum esse sciamus, invitamus TE et precibus nostris rogamus ut opus quod molimur auxilio Tuo exoptatissimo adiuves, inscriptionum Latinarum veterum quae in vicinia TUA reperiuntur apographa et si fieri potest ectypa chartacea ad THEODORUM MOMMSENUM transmittas simulque qui lapides hodie extent, qui amissi sint postquam superiore aliquo saeculo innotuerunt, accurate doceas, libros quibus inscriptiones continentur sive scriptos sive etiam typis expressos, si rariores illi sunt et paucis noti, cum eodem viro doctissimo communices aut ei indices, denique quidquid TIBI operi nostro perficiendo profuturum esse videbitur contribuas. Ita et nos et omnes quibus antiquae litterae cordi sunt TIBI devinctos habebis. Ser. Berolini kal. Ian. a. MDCCCLV.

EDUARDUS GERHARD, RICARDUS LEPSIUS, MAURICIUS PINDER, MAURICIUS HAUPT,

sodales academiae Borussicae ad adornandum corpus inscriptionum Latinarum constituti.

MAGYAR
TUDOMÁNYOS AKADÉMIA
KÖNYVTÁRA